



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

De Excessibvs Episcoporvm contra suos archidiaconos, & archidiaconorum
contra suos episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179. DE EXCESSIBVS EPISCOPORVM
CONTRA SVOS ARCHIDIACONOS,
& archidiaconorum contra suos
episcopos.

PARS XXIV.

CAP. I.

Item Alexander III. Londoniensis episcopo.

Ad aures nostras noueris peruenisse, quod quidam archidiaconi tui, te inconsulto, contra consuetudinem ecclesiarum sibi commissa, personas in ecclesiis instituerunt, & sic in ecclesiis vel eorum portionibus nunc filios, nunc alias personas & vicarios instituere non verentur. Volentes itaque pro officii nostri debito in irritum deducere, quod contra iuris ordinem attentatur, auctoritate apostolica tibi duximus iniungendum, ut si iidem archidiaconi post prohibitionem tuam ipsis inde factam, instituerint sine mandato & auctoritate vestra aliquos in ecclesiis, in quibus patres eorum ministrasse noscuntur, aut personas alias: vel vicarios, cum id sit canonicae sanctioni contrarium, liberum tibi sit, nullius contradictione, vel appellatione obstante, institutiones huiusmodi penitus irritare, & taliter institutos remouere ab ecclesiis.

CAP. II. *Idem Heliensis archidiacono.*

Cum satis sit absurdum, & a sanctorum patrum institutionibus alienum, ut archidiaconus auctoritate propria debeat cuilibet causam animarum committere: agre nimis ferimus, quod tu sine mandato episcopi tui personis animarum curam committis. Quoniam igitur obtenuit aliquius consuetudinis non debes sanctorum patrum institutiones transgredi, & quod ad tuum non spectat officium, vendicare: ideo mandamus, ut nemini de cetero sine mandato & licentia episcopi tui, curam animarum committere præsumas.

CAP. III. *Idem Exoniensis episcopo.*

Ad aures nostras peruenit, quod quidam archidiaconi tui se in ecclesiis, quae in suis archidiaconatibus vacant, au-
Concil. Tom. 27. LIII

AVGV
CREST
1715

ctoritate propria non verentur intrudere , & sic ipsas ec-
clesias detinere non erubescunt . Nos attendentes abso-
num esse atque omni rationi contrarium præsumptionis
excessum , nec volentes incorrectum relinqui : fraternita-
ti tuae , &c. quatenus si qui archidiaconi sint in episcopatu
tuo , qui tali modo ecclesias occupatas detineant , ipsos ad
eas dimitendas , omni occasione & appellatione cessante ,
ecclesiastica distictione compellas , & easdem ecclesias
personis idoneis & honestis ordines , & præfatos archidia-
conos pro tanta præsumptione , debita animaduersione
punire cures .

C A P. IV. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Adhæc quoniam prædictus episcopus , sicut accepi-
mus , plures ecclesias , & præcipue ecclesiam de Nortun ,
a consuetudine & obsequio archidiaconorum liberas con-
stituit & immunes , & in hac parte redditus eorum diminuit
& attenuauit : nihilo minus præsentium significatione in-
iungimus , vt si res ita se habet , factum episcopi hoc , ap-
pellatione remota , corrigas & emendes : & ita prouideas ,
vt præfato archidiacono G. consuetudines , quas presby-
teri in ecclesiis sui archidiaconatus debent , plenarie con-
seruentur , & illi debitam reuerentiam exhibeant , & ho-
norem .

C A P. V. *Idem Burdegalensi archiepiscopo.*

Præterea de archidiacono G. * qui in tua & in Tolosana * f. qui
cum in
ecclesia archidiaconus sit constitutus , * in vtraque ecclesia * f. & in
regulariter professus , collectis illis quæ in archidiaconatu
tuæ ecclesiæ colligere potest , præter conscientiam tuam
Tolosanam ecclesiam ingreditur , & ibi per annum veleo
amplius moratur : prudentiæ tuæ significamus , vt eum de
cetero altero , quem maluerit , archidiaconatu , si res ita se
habet , appellatione remota , facias esse contentum .